

Randbemerkung Venusios zur Vorlage, fol. 197^v–198^r: Fasc. 8. n. 23., dove nell' inventario è chiamato transunto, ma questo sembra, che sia l' originale e quello, che è al Fasc. 7. n. 14. altro non è che una copia informe fatta o nello stesso tempo o poco dopo. In parte però sembra esservi stata aggiunta ne' tempi posteriori la firma o sottoscrizione di Giovanni vescovo di Cotrone.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense ianuarii, indictione XII, imperii vero domini nostri Frederici dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti et regis Sicilie anno quarto et regni Sicilie vicesimo sexto, feliciter amen. Sicut emendatione indiget omnis inordinata presumptio, sic presumptionem secuta correctio debet memorie commendari, ut sicut futuris libera datur erroris facultas de peccato presentium, sic ipsa posteritas habeat per scripturam satisfactionis exemplum. Hinc est, quod nobis Iohanne, Nicolao et Bartolomeo de Logothetha imperialibus iusticiariis terre Iordane per ipsius nostri executionem officii constitutis in Psychro^{a)} frater Belprandus^{b)} Florensis monachus^{c)} pro parte venerabilium abbatis et fratrum Florensis monasterii litteras imperiales attulit, quarum tenor est talis:

Fredericus dei gratia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie iusticiariis terre Iordani fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Exposuit et conquestus est celsitudini nostre venerabilis abbas Florensis monasterii fidelis noster, quod cum venerabilis archiepiscopus Sancte Severine quedam pascua in tenimento Sancte Severine monasterio Floris ad annum censum concessit, Simon de Policastro propria vi et auctoritate sua super tenimento pascuarum ipsarum in damnum et detrimentum monasterii memorati fecit ovile fieri pro ovibus suis. Cum igitur presumptiones huiusmodi, que maxime in damnum religiosorum locorum temere attemptant et nostre maiestati displiceant, fidelitati vestre districte precipimus, quatinus inquisita super hoc diligentius veritate, si vobis constiterit de premissis, predictum ovile a tenimento pascuarum ipsarum faciatis continuo, sicut iustum fuerit, amoveri, ut intimato super hoc ad audientiam nostram iusta querimonia non recaverat.

Datum Cusentie quarto die novembris, indictione XI.

XIV. a) P *verb.* M

b) *aus* fratris Belprandi *verb.* M

c) monachi M